



OFFICIA PROPRIA DIOECESIS RATISBONENSIS

PARS VERNA

Die 3 Martii

S. Cunegundis
Imperatricis, Virginis

Duplex majus

Oratio

C

Exáudi nos, Deus, salutáris noster: ut, sicut de beátæ Cunegúndis Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

In II Nocturno

Lectio iv

Cunegúndis, Sigefrídi Palatini filia, et si Henríco Romanórum imperatóri in matrimónium collocáta, tamen eódem annuente, intáctum virginitátis florem ætérno Regi consecrávit. Dæmone

vero, tantæ virtútis hoste, invidórum criminatiónes excitánte, Augústa in thori violáti suspicióne apud marítum venit. At illa per ignitos vómeres illæsa nudis pédibus incédens suam ómnibus integritátem probávit.

R. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et iustitiam: * Et dedúcet te mirabiliter dextera tua. Specie tua et pulchritú dine tua inténde, prospere procede et regna. Et.

Lectio

Insígnem quoque in pauperes et ecclesiam beneficentiam osténdit; cum enim veram se orphanorum et languéntium omnium párentem præbuisset, sancto Michaéli Apostolorum princípibus, et Proto-Mar-

tyri Stéphano basilicas excitávit, ac vectigáli eas per-ámplio dotávit, múltaque monastéria utriúsque sexus fundávit, et singula divérsis ornáméntis, prædiis ac utensílibus, juxta imperiálem magnificéntiam ditávit. Henrico demum víta functo (pro cujus ánima sollémnes ubíque preces et eleemósynas ingéntes faciéndas curávit), abjéctis, ut jam dudum optáverat, rerum externárum curis, depósita púrpura, præcísis crínibus, qui adhuc in monastério asservántur, fidei ánulum ab archiepíscopo et víginum sacrárum velum accépit.

R. Dilexisti justítiam, et odísti iniquitátem: * Prop- térea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. **V.** Propter veritátem, et mansue- em, et justítiam. **Prop-**

In

Lectio vi

Porro soróribus Deo dicatis veræ submissiónis et virtutum ómnium exémplo praelúxit. Numquam plus quietis, labóris vero non minus quam ceteræ capiebat. Vigílias, preces, rerum sacrárum lectiónem ad multam noctem producebat; fessaque non nisi in strato cilico quiescébat. Ergo quindecim annis in iis laboribus, ac virtutum ex-

ercitatióne consúptis, ad perpétuam quiétem vocá- tur a Dómino, qui ejus vitæ sanctitátem crebris étiam miráculis illustrávit. Nam et viva cœnóbii incéndium crucis signo restínxit; et mórtua quam plúrimos váriis morbis afféctos, ad suum sepúlcrum pie accedéntes, curávit. Sacrum ejus corpus Bambérgæ in sanctórum Petri et Pauli basilica religióse cónditum asservátur.

R. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exultatióne. **V.** Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, prospere procéde, et regna. Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Accessérunt ad Jesum, de Communi Virg. 3 loco.

IX Lectio de Homilia Feriæ et fit ejus Commemoratio in Laudibus.

In Vesperis Commemoratio sequentis (S. Casimiri), Feriæ, ac S. Lucii I Papæ et Martyris, ut in Breviario.

Die 15 Martii

**S. Clementis Mariæ Hof-
bauer Confessoris**

Duplex majus

Oratio

Deus, qui beátum Clemén- tem Mariam miro fidei

róbore et invictæ constantiæ virtute decorasti: ejus méritis et exémpis fac nos, quæsumus, ita fortes in fide et caritate ferventes; ut præmia consequamur æterna. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

In I Nocturno Lectiones Beatus vir, de Communi Conf. non Pont. 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv



lemens Mariæ Hofbauer Tassovítii in Moravia natus, a prima ætate in schola christianæ perfectionis eruditus est; magistra potissimum religiosissima matre, quæ puérulum post patris obitum ostensa Christi Dómini e cruce pendéntis imagine sic allocúta fertur: En fili, qui hinc in pósterum tibi futurus est pater, cura, ut per eam, quæ ipsi placeat, viam incédas. Adolenscens pistóriam artem didicit: sed ad majóra se vocári præsentiens coepit inter laboriosæ artis exercitium ad stúdiùm incumbere litterarum. Bis Romam pedes ad limina Apostolorum peregrinatus est, bis étiam rerum cælestium contemplationi libérius vacaturus in erémum secéssit. Verum

Deo illum ad altióra vocante intermissa litterarum stúdia in Vindobonénsi Universitate repétiit, navitérque prosecutus est: donec ex purióre fonte sacras disciplinas haustus, Romam tertium remigrávit. Ibi in sancti Alfónsi familiam singulári Dei providéntia cooptatus est, quam ipsius ópera in díssitas regiónés propagátum iri sanctus idem Parens divíno instinctu præsensit ac palam prænuntiávit.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

L.

Absolúto cum magno spiritus fervore tirocinio ac présbyter factus in septentrionales Europae provincias a Sede apostolica missus est. Erécto Varsaviæ in Polónia primo suae Congregatiónis domicilio et plúribus sibi adjúctis sóciis, incredibile est, quam copióso ibi fructu sacerdotalia múnera ultra vicénnium expléverit; nihil labóris recúsans, sive ut cathólicos

ad bonos mores et pietatis cultum revocaret, sive ut hæreticos et Judæos ad veram fidem adduceret. Multa etiam ad religiosam juventutis institutionem præstitit. Orphanorum sortem miseratus erexit hospitium, ubi miserimos quosque paternæ caritate alébat; visus subinde stipem eorum causa emendicare, immo nec faciæ ab increpantibus et in se conspuentibus avèrtere. Inter has autem curas semper coram Deo ambulans, Deiparæ Virgini, cuius Rosarium assidue recitabat, singulariter devotus, rectus, simplex, humilis, cunctis affabilis et

benignus, omnibus velut sanctitatis exemplar júgiter præluxit.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus lorricam fidei, et ornavit eum. **Et.**

Lectio vi

Deo soli confisus, plures instituti sui domus variis in regionibus erexit. Ipse vero multas, ob temporum iniquitatem, acerbitates perpessus, et e Polónia tandem cum suis expulsus, secëssit Vindobonam, ubi

duodecim postrémis vitæ annis, ad Dei glóriam strenue operari perseveravit. Præter sædulam enim sacramenti Pæniténtiæ administratione, quam plurimas a salute devias ánimas Christo lucrifaceret. Quem caritatis ignem, tum sacerdotibus, tum máxime selectæ juvenum cohórti, quorum complures suum Congregatióni nomen dedérunt, infundere adlaboravit. Illud autem indefessa sua ópera consecutus est, ut languescentem pópuli fidem catholicúmque spíritum non parum illa ætate imminutum corroboraret; dignus propterea, quem Pius séptimus virum apostolicum, Vindobonensis cleri decus, Ecclesiæque cólumen appellaret. Méritis tandem plenus, et prodigiórum aliorúmque cælestium charismatum múnere illústris, prope septuagenarius obdormivit in Dómino, Idibus Mártii, anno millésimo octingentesimo vigésimo. Eum Leo décimus tertius, miraculis clarum, Beatorum catálogo, Pius vero décimus novis fulgéntem signis Sanctórum fastis accénsuit.

R. Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingressus in requiem meam: *

Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

V. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cælestia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Lectiones de Homilia in Evangelium Nolite timere, de Communi Conf. non Pont. 2 loco.

IX Lectio de Homilia Feriæ et fit ejus Commemoratio in Laudibus et II Vesperis.

Die 27 Martii

S. Ruperti

Episcopi et Confessoris

Duplex

Oratio

C

Da, quæsumus omnipotens Deus: ut beati Ruperti Confessoris tui atque Pontificis veneranda sollemnitas, et devotionem nobis augeat, et salutem. Per Dominum nostrum.

Et fit Commemoratio S. Joannis Damasceni Conf. et Ecclesiæ Doctoris:

Ant. O Doctor optime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beate Joannes, divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei. (T. P. Allelúja.)

V. Justum deduxit Dominus per vias rectas. (T. P.

Allelúja.) R. Et ostendit illi regnum Dei. (T. P. Allelúja.)

Oratio

Omnipotens sempiternus Deus, qui ad cultum sacrarum imaginum asserendum, beatum Joannem cælesti doctrina et admirabili spiritus fortitudine imbusti: concede nobis ejus intercessione et exemplo: ut, quorum colimus imagines, virtutes imitemur et patrocinia sentiamus. (Per Dominum nostrum.)

Deinde in Quadragesima Commemoratio Feriæ.

In Quadragesima Lectiones I Nocturni Fidelis sermo, de Communi Conf. Pont. 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

Rupertus, Vangionensis (hodie Wormatiensis) ecclesiæ episcopus, regnante Childberto secundo Francorum rege tanta humilitatis, mansuetudinis, castitatis, prudentiæ, ceterarumque omnium virtutum laude præditus fuit, ut genus suum a Francorum regibus ductum eximia in Deum fide ac pietate illustrarit. Is cum plenus Spiritu Sancto, optime vivendi formam seipsum gregi suo exhiberet, vita et facto probans, quid-

quid sermone docuisset; religionem precandi assiduitate, prudentiam dandis consiliis, justitiam ferendis sententiis, abstinentiam corpus perpetuis jejuniis macerando mirifice confirmavit: adeo largus et benignus erga inopes fuit, ut hoc solum suum existimavit, quod in miseros et egenos contulisset.

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Nil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocet ei. **Manus.**

Lectio v

Quam magnus autem fructus ex hac illius vita in ceteros promanavit, multi non solum e vicinis, sed etiam longinquis regionibus populi, ejus ope in salutis viam traducti, testantur. Ac Theodo in primis, Bavariae dux, sanctitatis illius et miraculorum fama audita, legatos ad eum primarios viros mittens rogavit, ut suas ditiones invisere, easque ac se fidei lumine collustrare vellet. At ille, licet multis persecutionibus fatigatus, pium ac sanctum onus non recusavit. Paulo igitur post Theodo a Ruperto, una cum

praecipuis procerebus ac magna multitudine hominum, Reginoburgi baptizatus est.

R. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

Lectio vi

Rupertus vero cum episcopalem sedem ad lacum Wallersee constituisset, templumque in honorem beati Petri Apostolorum principis Juvavii, in loco, qui nunc Salisburgum dicitur, clericorum ministeriis aliisque rebus necessariis instructum, primus exercisset; animum statim ad reliquam gentem Bavariae sacra Christi religione imbuendam convertit, eamque, duodecim viris operare et laborum sociis adjunctis, ad catholicam fidem, Deo pio conatus adjuvante, traduxit. Cujus rei gratia factum est, ut Bavarorum Apostolus mereretur appellari. Cum denique jactis passim multarum ecclesiarum fundamenti episcopatum pluribus annis summa cum laude rexisset, sacrosancto Missae sacrificio, ipso dominico Resurrectionis die,

peracto, ac discipulorum animis paterna hortatione confirmatis, caelestivita perpetuo fruiturus, migravit ad Dominum.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus replata est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad caelestia regna. Ipse. **Gloria Patri. Ipse.**

In III Nocturno Homilia in Evangelium Homo peregre, de Communi Conf. Pont. I loco.

In Quadragesima IX Lectio de Homilia Feriae et fit ejus Commemoratio in Laudibus post Commemorationem S. Joannis Damasceni:

Ant. Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. (T. P. Alleluja.)

V. Amavit eum Dominus, et ornavit eum. (T. P. Alleluja.) **R.** Stulam gloriae induit eum. (T. P. Alleluja.)

Oratio

Omnipotens sempiternus Deus, qui ad cultum sacrarum imaginum asserendum, beatum Joannem caelesti doctrina et admirabili spiritus fortitudine imbuisti: concede nobis ejus intercessione et exemplo:

ut, quorum colimus imagines, virtutes imitemur et patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum.

In II Vesperis Commemoratio sequentis (S. Joannis a Capistrano Conf., semiduplex):

Ant. Similabo eum viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram. (T. P. Alleluja.)

V. Amavit, ut supra.

Oratio

Deus, qui per beatum Joannem fideles tuos in virtute sanctissimi nominis Jesu de Crucis inimicis triumphare fecisti: praesta, quaesumus; ut, spiritu alium hostium, ejus intercessione, superatis insidiis, coronam justitiae a te accipere mereamur.

Deinde Commemoratio S. Joannis Damasceni:

Ant. O Doctor optime, Ecclesiae sanctae lumen, beate Joannes, divinae legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei. (T. P. Alleluja.)

V. Os justii meditabitur sapientiam. (T. P. Alleluja.) **R.** Et lingua ejus loquetur judicium. (T. P. Alleluja.)

Oratio Omnipotens sempiternus Deus, ut supra.

Postea in Quadragesima Commemoratio Feriae.

Die 19 Aprilis
S. Leonis IX
Papæ et Confessoris
Simplex

Oratio C

Da, quæsumus omnipotens Deus: ut beati Leonis Confessoris tui atque Pontificis veneranda sollemnitas, et devotioem nobis augeat et salutem. Per Dominum.

Lectio iii

Leo, hujus nominis nonus, ex nobili Francorum prosapia oriundus, Dagsburgensis Comes, ac Tulensis episcopus, Bruno antea dictus, omnium Cardinalium suffragiis, ac communi fidelium gratulatione, ad sanctissimam Petri sedem evectus est, et in ea sedit annis quinque, duobus mensibus, diebus octo. Vir omni virtutum genere, et sacra doctrina eximius: ut Apostolicum hoc munus impleret, nullis laboribus, nullis sumptibus, nullis incommodis pepercit. Germaniam, et Italiam sæpius, Galliam semel visitavit. Habuit novem concilia, Rhemis, Moguntiae, Vercellis, Papiae, Romæ ad restaurandos Christianorum mores. Multas litteras ad imperatores, reges, patriarchas, episcopos, zelo ac

pietate flagrantes scripsit. Legatos ad imperatorem Constantinopolitanum, pro reductione Græcorum, semel atque iterum misit. Berengarium hæreticum semel iterumque damnavit, et Michaëlem Cerularium Patriarcham, insignem schismaticum, anathemate percussit. Dum Romæ ægeret, ter in hebdomada a sacrosancta ecclesia Lateranensi ad Vaticanam, nudis pedibus, noctu, orans et psallens pergēbat. Principi Apostolorum decimam oblationum partem sibi de more competentem, pontificio diplomate cessit. Patrimonium suum proprium in erectionem monasterii impendit: unde etiam quotannis pecunia submitteretur in sumptus rosæ aureæ, quam Romani Pontifices antiquo, et sollēni ritu benedicunt. In pauperes et peregrinos effusam liberalitatem exercuit. Sub leprosi forma et habitu Christum aliquando proprio lecto excēpit. Denique multis pro Ecclesia laboribus exantlatis, obiit die decima nona Aprilis, anno millésimo quinquagesimo quarto, ante et post mortem multis miraculis clarus, ac sepultus est in Vaticano. Te Deum.

Die 27 Aprilis
S. Petri Canisii
Conf. et Eccl. Doctoris
Duplex II classis (m. t. v.)

In I Vesperis

Ad Magnif. Ant. O Doctor optime, * Ecclesiæ sanctæ lumen, beate Petre, divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei, allelūja.

Oratio

Deus, qui ad tuendam catholicam fidem beatum Petrum Confessorem tuum virtute et doctrina roborasti: concede propitius; ut ejus exemplis et monitis errantes ad salutem respiscant, et fideles in veritatis confessione perseverent. Per Dominum.

Et sit Commemoratio præcedentis:

Ant. Sancti et justī, in Dōmino gaudete, allelūja: vos elegit Deus in hereditatem sibi, allelūja.

V. Pretiosa in conspectu Dōmini, allelūja. **R.** Mors Sanctorum ejus, allelūja.

Oratio

Beatorum Martyrum pariterque Pontificum Cleti et Marcellini nos, Domine, foveat pretiosa confessio: et pia jugiter intercessio tueatur. Per Dominum nostrum.

In II Nocturno

Lectio iv



Petrus Canisius, Noviomagi in Gēlria eo ipso anno natus est, quo Lutherus in Germania, aperta rebellionē, ab Ecclesia descivit, et Ignatius de Loyola in Hispania, terrestri militia abdicata, ad prælianda prælia Dōmini se convertit; Deo nimirum portendente, quos ille posthac adversarios, quem sacrae militiae ducem esset habiturus. Coloniae Agrippinae, quo studiorum causa concesserat, perpetuo castitatis voto se Deo obstrinxit, et paulo post Societati Jesu nomen dedit. Sacerdotio auctus, catholicam fidem contra novatorum insidias legationibus, sermonibus, scriptis libris statim defendendam suscepit. Ob præclaram sapientiam et exploratum rerum usum a Cardinali Augustano et a pontificiis legatis magnopere expetitus, semel atque iterum Concilio Tridentino interfuit; cujus etiam decreta ex auctoritate Pii quarti Pontificis Maximi rite per Germaniam promulganda et in morem inducenda curavit. A Paulo quarto ad conventum Petricoviensem ire

jussus, aliisque a Gregório décimo tertio legationibus obeundis adhibitus, alacri semper et numquam fracto difficultatibus animo, gravissima religionis negotia tractavit, ac vel inter praesentia vitae discrimina ad felicem exitum perduxit.

R. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seducto-ribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam, alle-luja. **V.** Justum deduxit Do-minus per vias rectas, et os-tendit illi regnum Dei. **Et.**

Lectio v

Superno caritatis igne, quem in Basilica Vati-cana e penetrabilibus Cordis Jesu olim copiose hause-rat, inflammatus, et divinae gloriae amplificandae unice intentus, dici vix potest, quot, per annos amplius quadraginta, labores susce-perit, aeternasque pertulerit, ut complures Ger-maniae civitates ac provin-cias vel ab haereseos con-tagione defenderet, vel haeresi infectas, catholicae fi-dei restitueret. In Ratis-bonensi et in Augustano conventu imperii proceres ad jura Ecclesiae tuenda et mores populorum emen-dandos excitavit: in Vor-matiensi insolescentes im-pietatis magistros ad silen-

tium adegit. A sancto Ig-natio Germania Superioris provinciae praefectus, do-mos et collegia multis locis condidit. Collegium Ger-manicum, Romae constitutum, omni ope provēhere atque amplificare studuit; in academiis sacrarum hu-manarumque disciplinarum studia, miserandum in mo-dum collapsa, instauravit; contra Centuriatores Mag-deburgenses duo volumina egregie conscripsit: et sum-mam doctrinae christianae, theologorum judicio et pū-blico trium saeculorum usu ubique probatissimam, alia-que complura ad populorum institutionem valde ac-commodata in vulgus edidit. Quam ob rem haereti-corum malleus et alter Ger-maniae apostolus appellatus, plane dignus habitus est, qui ad tutandam in Germania religionem divi-nus electus putaretur.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum; stolam glō-riae induit eum, * Et ad por-tas paradisi coronavit eum, alle-luja. **V.** Induit eum Do-minus loricae fidei, et or-navit eum. **Et.**

Lectio vi

Inter haec, precatione cre-bra et assidua rerum su-pernarum commentatione, lacrimis saepe perfusus et

ánimo interdum a sensibus abducto, Deo se conjungere solitus erat. A viris prin-cipibus vel sanctitate cla-rissimis et a quatuor Sum-mis Pontificibus magno in honore habitus, adeo de se demisse sentiebat, ut se omnium minimum et dice-ret et haberet. Vindobo-nensem episcopatum semel, iterum ac tertio recusavit. Moderato-ribus suis obse-quentissimus, paratus erat ad ipsorum nutum omnia relinquere aut aggredi, et-iam cum valetudinis et vi-tae periculo. Voluntaria sui ipsius coercitione castita-tem perpetuo sepsit. De-mum Friburgi Helvetio-rum, ubi plurimum pro Dei gloria et salute animarum ultimis vitae suae annis de-sudaverat, migravit ad De-um die vicésima prima De-cembris anno millésimo quingentesimo nonagesimo séptimo, aetatis suae sépti-mo supra septuagesimum. Hunc vero strenuum ca-tholicae veritatis propugna-torem Pius Papa nonus caelitum Beatorum honori-bus adauxit; novis autem fulgentem signis Pius un-décimus, Pontifex Máxi-mus, anno jubilaei, Sanc-torum número accensuit, simulque Doctorem univer-salis Ecclesiae declaravit.

R. Iste homo perfecit om-nia quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: In-grédere in requiem meam: * Quia te vidi justum co-ram me ex omnibus genti-bus, alle-luja. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mun-di, et pervenit ad caelestia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii se-cundum Matthaeum

Lectio vii Cap. 5, 13-19

In illo tempore: Dixit Je-sus discipulis suis: Vos estis sal terrae. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Et reliqua.

Homilia sancti Petri Canisii Presbyteri

Notae in Evangelia, in Festo S. Martini Ep., post initium



Amabo et colam mis-sos a Christo Apó-stolos horumque successores in Evangelii semine spargendo sedulos et indefessos propagandi verbi cooperatores, qui jure testari possunt: Sic nos existimet homo ut minis-tros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Vó-luit enim Christus ut vigi-lantissimus ac fidelissimus paterfamilias per tales mi-nistros ac legatos lucernam evangélicam igne caelitus

demisso accendi, et accensam non módio supponi, sed super candelabrum constitui, quæ suum splendorem longe latèque diffunderet omnesque tum Judæorum tum gentium viuentes ténebras et errores profligáret.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dóminum: * Ipse intercédât pro peccatis ómnium populórum, allelúja. **V.** Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viii

Etenim evangélico Doctóri sat non est, verbo lucrere pópulo, et vocem in desérto clamántem præstare, multisque in pietate juvándis lingua óperam dare, ne alióquin, si verbi ministérium prætermittat, canis mutus non valens latrere a prophéta dicatur. Sed et ardere illum oportet, ut, ópere atque caritate instrúctus, munus suum ornet evangélicum, Paulúmque ducem sequatur. Is quippe non conténtus Ephesiórum episcopo demandare: Præcipe hoc et doce: labóra sicut bonus miles Christi Jesu, con-

stánter étiam apud amicos et inimicos evangelizávit, ac episcopis apud Ephesum colléctis bona dixit consciéntia: Vos scitis, quómmodo nihil subtráxerim utilium, quóminus annuntiárem vobis, et docérem vos públice et per domos, testificans Judæis atque gentilibus in Deum pæniténtiam, et fidem in Dóminum nostrum Jesum Christum.

R. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, * Et implévit eum Dóminus spírítu sapientiæ et intelléctus, allelúja. **V.** Jucunditatem et exultationem thesaurizávit super eum. **Et. Glória Patri. Et.**

Feria II Rogationum IX Lectio de Homilia Feriæ et fit ejus Com. ad Laudes; alias

Lectio ix

Talem enim pastórem decet esse in Ecclésia, qui, more Pauli, ómnibus ómnia fiat, ut in illo repériat æger curatiónem, mæstus lætítiam, despérans fidúciám, imperitus doctrínam, dúbius consilium, pænitens véniam atque soláciúm, et quidquid tandem ad salutem est cuique necessárium. Quocirca pulchre Christus, cum primários mundi Ecclesiæque doctóres constituere vellet, non sat hábuit discipulis dícere: Vos estis lux mundi: sed étiam illud

Oratio

subjecit: Non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam et ponunt eam sub módio, sed super candelabrum, ut luceat ómnibus qui in domo sunt. Errant enim opinántes ecclesiástæ, quod múnere suo doctrínæ splendóre magis quam vitæ integritate et caritatis ardóre possint satisfácere. Te Deum laudámus.

Oratio

Deus, qui ad tuéndam cathólicam fidem beátum Petrum Confessórem tuum virtute et doctrína roborásti: concéde propítius: ut ejus exémpis et mónitis errántes ad salutem respiscant, et fidéles in veritatis confessióne persevérent. Per Dóminum.

In II Vesperis

Ad Magnif. Ant. O Doctor óptime * Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Petre, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Filium Dei, allelúja.

Et fit Com. sequentis tant.:

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram, allelúja.

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. **R.** Stolum glóriæ induit eum, allelúja.

Domine Jesu Christe, qui, ad mystérium Crucis prædicándum, sanctum Paulum singulári caritate donásti, et per eum novam in Ecclésia familiam floréscere voluísti: ipsius nobis intercessióne concéde; ut passiónem tuam júgiter recoléntes in terris, ejusdem fructum cónsequi mereámur in cælis: Qui vivis.

Sabbato I Maji

In Sollemnitate Beatæ Mariæ Virginis Patronæ Bavarïæ

Duplex I cl. cum Oct. communi

Omnia de Communi Festorum B. M. V. præter ea, quæ hic habentur propria.

In I Vesperis

Antiphona 1

Stellammaris* attendámus, qui transire decertámus Babilónis flúmina, allelúja.

2 Hæc ut nostram * indefesse cymbam regat, est necesse, per fluctus et flúmina, allelúja.

3 Ad Mariam * dirigámus cursum, ad hanc erigámus mentes, mánu, flúmina, allelúja.

4 Hæc de lacu * Babilónis ad tranquillæ visiónis nos edúcat cúlmina, allelúja.

5 Hinc celéma * præcinámus, quo Patrónam salutámus: Ave, magna Dómina, allelúja!

Cap. Eccli. 24, 14

Ab iníto et ante sácula creáta sum, et usque ad futúrum sáculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

Prima strophá sequentis Hymni dicitur flexis genibus.

Hymnus

Ave, maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cæli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevæ nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse Matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos, culpis solutos,
Mites fac et castos.

Vitam præstas puram,
Iter para tutum,
Ut, vidéntes Jesum,
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui Sancto,
Tribus honor unus. Amen.

In I Vesperis

V. Ora pro nobis, magna Patróna Bavariæ, allelúja.

R. Ut digni efficiámur promissionibus Christi, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Descende cælo, * filia Principis, pulchrósque gressus figere Bóicis dignáre terris, qua vocáris, ínclita magna Patróna regni, allelúja.

In II Vesperis

V. Rem, regem, régimen, regiónem, religiónem, allelúja. **R.** Consérva Bávaris, Virgo Patróna, tuis, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Occúrre votis * et Bávaros reges adfla benigni Núminis hálitu, tu, robur afflictæque scutum et dulce decus Patriæque Mater, María, allelúja.

Oratio

Deus, qui dilécti Filii tui Genetricem nobis Matrem ac Regni Patrónam dare dignátus es: concéde propítius; ut sub hujus Matris tutéla ab omni hóstium defendámur incúrsu, et sine timóre in sanctifáte et justítia tibi serviámus. Per eúndem Dóminum.

Ad Matutinum

Invitat. Christum Regem adorémus * Et Mariam colaudémus, piam nostram Dóminam, allelúja.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

Supérni Sponsa Principis,
Propitiátrix hóminis,
María, Virgo régia,
Plena laudáris grátia.

Compésce carnis fómitem
Hostisque sævi rábiem;
Terréna da despícere,
Supérna concupiscere.

Bavariæ præsidium!
Da robur, fer auxiliúm;
Da cælis rora grátiam
In tuam hanc famíliam.

Constrínge nos suávis
Tuis, Mater, ampléxibus;
Nos redde gratos Filio
Sanctóque reple gáudio.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spi-

In sempitérna sácula.
Amen.

In I Nocturno

Ant. Terram nostram cælitus * ros inebriávit, florem cum divínitus Christum germinávit, allelúja.

V. Elégit eam Deus, et prælégit eam, allelúja. **R.** In tabernáculo suo habitáre facit eam, allelúja.

De Parábolis Salomónis Lectio i Prov. 2, 10-15

Si intráverit sapiéntia cor tuum, et sciéntia ánimæ tuæ placúerit: consílium custódiét te, et prudéntia servábit te, ut eruáris a via mala, et ab hómine, qui perversa loquitur, qui relínquunt iter rectum, et ámbulant per vias tenebrósas: qui lætántur cum malefécerint, et exsúltant in rebus péssimis: quorum viæ perversæ sunt, et infámes gressus eórum.

R. Sicut ros in grámine, descendit in Vírgine * Verbum summi Patris, allelúja. **V.** Patrem non deséruit et mortálem induit formam alvo Matris. Verbum.

Lectio ii Prov. 3, 21-26

Fili mi, ne éffluent hæc ab óculis tuis. Custódi legem atque consílium: et ení vita ánimæ tuæ, et grátia faucibus tuis. Tunc ambulábis iudicialiter in via tua, et pés tuus non impinget: si dormieris, non timébis; quiésces et suávis erit somnus tuus. Ne páveas repentinó terróre, et irruéntes tibi poténtias impiórum. Dóminus enim erit in látere tuo, et custódiét pedem tuum, ne capiáris.

R. Arens virga jam flo-
rescit, Virgo parit et ni-
tescit: * Stupenda nativi-
tas, allelúja! **V.** Novus In-
fans, novus Frater, nova
Virgo, nova Mater: admi-
randa nóvitas! Stupenda.

Lectio iii Prov. 8, 12-17

Ego sapiéntia hábito in
consílio, et erudítis in-
térsum cogitátionibus. Ti-
mor Dómini odit malum:
arrogántiam, et supérbiam,
et viam pravam, et os bi-
língue detéstor. Meum est
consílium et æquitas, mea
est prudéntia, mea est for-
títudo. Per me reges reg-
nant, et legum conditóres
justa decérunt. Per me
príncipes imperant et po-
téntes decérunt justítiam.
Ego diligéntes me díligo:
et qui mane vigilant ad me,
invénient me.

R. Salve, decus firmamén-
ti, tu caliginósæ menti *
Désuper irrádia, allelúja.

V. Placa mare, maris stel-
la, ne involvat nos procella
nec tempestas óbvia. **Désu-
per. Glória Patri. Désuper.**

In II Nocturno

Ant. Virga florem, * stel-
la solem, coætérnam Patri
Prolem Virgo Mater gé-
nuit, allelúja.

V. Venérunt mihi ómnia
bona páriter cum illa, alle-
lúja. **R.** Et innumerábilis

honéstas per manus illius,
allelúja.

Lectio iv

Maximiliánus, dux
Baváriæ et prin-
ceps eléctor pri-
mus, cum anno millésimo
sexcentésimo vigésimo e
prælio ad Montem Album
commisso, militibus sanc-
tam Mariam invocántibus,
victor cum suis Monáchi-
um rediisset, statim in ec-
clésiám Cathedrálém secés-
sit. Ubi, jánuis clausis, se-
gregátus ab ómnibus, co-
ram státua illa celebérrima
Mariána, quam paulo post
inde in forum principále su-
pra altam colúmnam trans-
férrí jussit, multas de vic-
tória reportáta grátias egit
atque ad singuláre Matris
cæléstis præsidium univér-
so regno suo implorándum
enixe eam rogávit, ut Pa-
tróna Baváriæ et esse et
appellári dignarétur. Cu-
jus pii voti aliud signum
est áltera illa státua ejús-
dem Patrónæ Baváriæ, qua
idem dux frontem princi-
pálem residéntiæ régiæ in-
signíri voluit.

R. O María, stella maris,
pietáte singuláris, * Pietá-
tis óculo, allelúja. **V.** Nos
dignéris intuéri; ne cunc-
térís miseréri naufragánti
sæculo. **Pietátis.**

Lectio v

Mariæ patrocínio Bavá-
ria jam dudum addic-
ta vidétur. Antiquíssimæ
enim ecclésiæ a sæculo oc-
tavo et nono imprimis Ma-
tri Dei dedicabántur, ut
Laurissána, Spirénsis, Fri-
singénsis, prima ecclésiá
Augustána, Vetus Capélla
Ratisbonénsis aliæque. Spe-
ciáli mentiõne dignum est
illud sacéllum, quod Caro-
lingórum ætate in Vétère
prædio Hodingáno, Altót-
ting nunc vocáto, juxta Ré-
giam constrúctum et póstea
splendidíssime exornátum
est. Ibídem a médio sæculo
séptimo décimo corda prin-
cipum Wittelsbacénsium
recóndita asservántur. In-
númeri vero fidéles, cum
ad ália Mariána Baváriæ
sanctuária, ut ad Ettalénsé
illud præclárum, quod a
Ludovíco Bávaro impera-
tore státua marmórea ex
Itália addúcta insignítum
est, ad Bambergénsé, Her-
bipolénsé, Birkensteinénsé,
Wendingánum aliáque,
tum imprimis ad Hodingá-
num continuo fere pere-
grinántur. Venerántur quo-
que singulárem thesáurum
in ecclésiá Hospítii ducális
Monacénsis. Illic ante stá-
tuam Matris dolorósæ Ma-
ximiliánus, princeps eléctor
tértius, saltem quovis die

Sábato Missæ sacrificio
assistere solébat et mori-
búndus státuam ipsam ad
se deférrí jussit.

R. Virgo, virga salutáris,
singuláris portus maris, *
Porta vitæ, prævia, allelú-
ja. **V.** Nos immérsos in
profúndo duc in portum, et
a mundo tua mundet grá-
tia. **Porta.**

Lectio vi

Mariánus iste cultus apud
pósteros inváluit. Tes-
tes sunt permúltæ Congre-
gatiónes Mariáles, quibus
complúres étiam e régia
família nomen dedérunt ac
dare solent. Huc pértinet
mos avítus exornánda fron-
tes domórum státua vel
saltem imágine Matris Dei.
Exstat autem Ordo équi-
tum sancti Geórgii, qui jux-
ta statúta cum fidem cat-
hólicam tum speciátim doc-
trínam de immaculáta Vir-
ginis Mariæ Conceptione,
étiam ante definitiónem dóg-
matis, constánter propagá-
vit. His multis et æquá-
lium et majórum exémp-
lis Baváriæ pópulus ad ita
agéndum addúctur, ut óm-
nibus opéribus suis præ-
sint „Deus et María“. Gra-
tíssimo autem ánimo Ludo-
víco tertio, regi suo, plau-
sit idem pópulus, cum ille
apud ædes Mariánas Ho-
dingæ públice testátus est,

quantópere sibi cordi sit, ut Mater Mariá a se suisque honóre et cultu celebrétur. Benedíctus Papa décimus quintus votis præfáti Ludovíci regis tértii ejúsque uxóris Mariæ Theresiæ benigne ánnuens concessit, ut ex inhumáni belli tempóribus speciále festum Patrónæ Baviariæ a regni istíus incolis quotánnis recolerétur.

R. Tolle malum, tende velum, tu, Patróna, duc phaselum * Ad cæli palátia, allelúja. **V.** Tu sis nobis mediátrix, dux et cymbæ gubernátrix maris per naufrágia. Ad. Glória Patri. Ad.

In III Nocturno

Ant. Signum magnum * fémina est amícta sole hæc refúlgens Dómina gloriósa Prole, allelúja.

V. Sub tuum præsidium confúgimus, allelúja. **R.** Sub quo secúri lætíque dégimus, allelúja.

Lectio sancti Evangéllii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 2, 1-11

In illo témpore: Núptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat Mater Jesu ibi. Vocátus est autem et Jesus, et discípuli ejus ad núptias. Et reliqua.

Homília sancti Bernárdi Abbátis

Dominica I post Octavam Epiphaniæ

Sermo 1, De miraculo facto in nuptiis, sub init.



inum non habent. Compássa est Mariá eórum verecúndiæ, sicut miséricors, sicut benigníssima. Quid de fonte pietátis procederet, nisi pietas? Quid, inquam, mirum, si pietátem éxhibent viscera pietátis? Nonne, qui pomum in manu sua tenuerit dimídia die, reliqua diéi parte pomi servábit odórem? Quantum igitur viscera illa virtus pietátis affécit, in quibus novem ménsibus requiévit? Nam et ante mentem replévit quam ventrem, et cum procéssit ex útero, ab ánimo non recéssit. Dúrior fortásse et austérior vidéri posset respónsio Dómini; sed nóverat ille, cui loquerétur; et, quis loquerétur, illa non ignorábat. Dénique ut scias, quómodo respónsium ipsum accéperit aut quantum de Filii benignitáte præsumpserit, ait ministris: Quæcúmque præcéperit vobis, serváte et fácite.

R. Salvatóris Mater pia, mundi hujus spes, Mariá, * Ave, plena grátia, alle-

lúja. **V.** Porta cæli, templum Dei, maris portus, ad quem rei currunt cum fidúcia. Ave.

Lectio viii

Sermo 2, De spiritualibus nuptiis, in medio

Quid mihi et tibi est, mulier? Quid tibi et illi est, Dómine? Nonne, quod filio et matri? Quid ad illam pertineas, quæris, cum tu sis benedíctus fructus ventris immaculáti? Nonne ipsa est, quæ, salvo pudóre, concépit et sine corruptióne te péperit? Nonne ipsa est, in cujus útero novem ménsibus morátus es, cujus virgíneis ubéribus lactátus es, cum qua, jam duódecim annórum factus, de Jerúsalem descendísti, et eras súbditus illi? Nunc ergo, Dómine, quid moléstus es illi, dicens: Quid mihi et tibi? Multum per omnem modum. Sed manifeste jam vídeo, quod, non velut indignans aut confundere volens Vírginis Matris téneram verecúndiam, díxeris: Quid mihi et tibi? cum, veniéntibus ad te juxta Matris præcéptum ministris, nihil cunctátus, fácias, quod illa suggéssit.

R. Intendéntes tuæ laudi, nos atténde, nos exáudi, * Nos a morte líbera, allelúja. **V.** Quæ post Chris-

tum prima sedes, inter Christi coherédes Christo nos adnúmera. Nos. Glória Patri. Nos.

Lectio ix

Sermo de duodecim prærogativis, sub init.

Quid ad Mariám accédere trépudet humana fragilitas? Nihil austérum in ea, nihil terríbile; tota suávis est, ómnibus ófferens lac et lanam. Revólve diligéntius evangélicæ históriæ sériem univérsam, et si quid forte increpatórium, si quid durum, si quod dénique signum vel ténuis indignatiónis occurrerit in Mariá, de cétero suspéctam hábeas, et accédere vereáris. Quod si (ut vere sunt) plena magis ómnia pietátis et grátia, plena mansuetúdinis et misericórdiæ, quæ ad eam pértinent, invéneris: age grátias ei, qui talem tibi mediátricem benigníssima miseratióne provídít, in qua nihil posset esse suspéctum; quæ ómnibus misericórdiæ sinum áperit, ut de plenitúdine ejus accípiant univérsi: captívus redemptiόnem, æger curatiόnem, tristis consolatiόnem, peccátor véniam, justus grátiam, ut non sit, qui se abscondat a calore ejus.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas

Ant. 1 Laudet rosam caritatis, * violam humilitatis, lilium integritatis jubilans Ecclësia, allelúja.

2 Laudent templum Trinitatis, * laudent matrem pietatis, laudent stellam claritatis regna et impéria, allelúja.

3 Laudet rubum visionis, * laudet vellus Gedeónis mannaque refectionis vigilans familia, allelúja.

4 Altum thronum Salomónis, * fulgens vas devotionis, claram vallem visionis benedicant ómnia, allelúja.

5 Laudent Matrem veri Dei * cuncta, quæ subsistunt ei, cælum, terra, lux diæi et supérna cúria, allelúja.

Capit. Eccli. 24, 14

Ab initio et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministravi.

Hymnus

In supréma jerarchia Residénti Dóminæ Personémus voce pia, Servitútis nómine.

Decet alte sublimátam Altis coli vóciibus, Huic offerre laudem gratam Corde et opéribus.

Lunam ista benedicta Pede premens Dómina Atque, sole præamicta, Luce claret gémina:

Velut gemmis coronata Bis senis sidéribus; Cunctis dispar et prælata Sola muliéribus.

Genitóri Genitóque Nostra sit laudatio, Procedénti ab utróque Compar jubilatio.

Amen.

V. Ora pro nobis, magna Patróna Baváriæ, allelúja.

R. Ut digni efficiámur promissionibus Christi, allelúja.

Ad Bened. Ant. Juditha nostræ * pulchra Bethúliæ, tu spes senátus, tu pópuli salus, regisque natorúmque et urbis glória lætitiæque causa, allelúja.

Oratio

Deus, qui dilécti Filii tui Genetricem nobis Matrem ac regni Patrónam dare dignátus es: concéde propítius; ut sub hujus Matris tutelá ab omni hóstium defendámur incúrsu, et sine timóre in sanctitate et justitia tibi serviámus. Per eúndem Dóminum.

Ad Tertiam

Capitulum Ab initio, ut supra ad Laudes.

R. br. Spécie tua et pulchritudine tua, * Allelúja,

allelúja. Spécie. **V.** Inténde, prospere procéde, et regna. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Spécie.

V. Adjuvabit eam Deus vultu suo, allelúja. **R.** Deus in médio ejus, non movébitur, allelúja.

Ad Sextam

Capit. Eccli. 24, 15-16

Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jérusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hereditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea.

R. br. Adjuvabit eam Deus vultu suo, * Allelúja, allelúja. Adjuvabit. **V.** Deus in médio ejus, non movébitur. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Adjuvabit.

V. Elégit eam Deus, et præelégit eam, allelúja. **R.** In tabernaculo suo habitare facit eam, allelúja.

Ad Nonam

Capit. Eccli. 24, 19-20

In platéis sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

R. br. Elégit eam Deus, et præelégit eam, * Alle-

lúja, allelúja. Elégit. **V.** In tabernaculo suo habitare facit eam. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Elégit.

V. Diffusa est gratia in labiis tuis, allelúja. **R.** Propterea benedixit te Deus in ætérnum, allelúja.

In II Vesperis

Omnia ut in I Vesperis 13*, præter sequentia:

V. Rem, regem, régimen, regiónem, religiónem, allelúja. **R.** Conserva Bavaris, Virgo Patróna, tuis, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Occurre votis * et Bavaros reges adfla benigni Núminis halitu, tu, robur afflictæque scutum et dulce decus Patriæque Mater, María, allelúja.

Et fit Commemoratio sequentis Dominicæ.

Commemoratio Octavæ

In I Vesperis

Ant. Descénde cælo, filia Principis, pulchrósquegressus figere Bóicis dignare terris, qua vocáris, inclita magna Patróna regni, allelúja.

V. Ora pro nobis, magna Patróna Baváriæ, allelúja. **R.** Ut digni efficiámur promissionibus Christi, allelúja.

Oratio

Deus, qui dilécti Filii tui Genetrícem nobis Matrem ac regni Patrónam dare dignátus es: concéde propítius; ut sub hujus Matris tutéla ab omni hóstium defendámur incúrsu, et sine timóre in sanctitáte et justítia tibi serviámus. Per eúndem Dóminum.

Ad Laudes

Ant. Judítha nostræ pulchra Bethúliæ, tu spes senátus, tu pópuli salus, regisque natorúmque et urbis glória lætitiæque causa, allelúja.

V. Ora pro nobis, magna Patróna Baváriæ, allelúja.
R. Ut digni efficiámur promissionibus Christi, allelúja.

In II Vesperis

Ant. Occúrre votis et Bávaros reges adfla benigni Núminis hálitu, tu, robur afflictæque scutum et dulce decus Patriæque Mater, María, allelúja.

V. Rem, regem, régimen, regiónem, religiónem, allelúja. **R.** Consérva Bávaris, Virgo Patróna, tuis, allelúja.

¶ Si quando occurrat dies libera infra Octavam, in II Nocturno Lectiones Dei Filius, de Communi Festorum B. Mariæ

Virginis cum Responsoriis de Festo, in III Nocturno Lectiones ut in die Festo 18*, donec aliter provideatur.

Sabbato II Maji

In Octava B. Mariæ V. Patronæ Baviariæ

Duplex majus

Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in Festo, præter Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II et III infra assignantur propriæ.

In II Nocturno

Sermo sancti Augustini
Episcopi

Lectio iv

Sermo 18 de Sanctis, in medio



xsúltat María, et matrem se læta mirátur, et de Spíritu Sancto se peperisse gaudet; nec, quia péperit innúpta, terrétur; sed, quia genuerit, cum exsultatione mirátur. O fémina super féminas benedicta, quæ virum omnino non novit, et virum suo útero circumdedit! Circúmdat virum María, Angelo fidem dando, quia Heva pérdidit virum, serpénti consentiéndo. O felix obœdiéntia, o insignis grátia! quæ, dum fidem humíliter dedit, cæli in se

Lectio vi

Opíficem corporávit. Hinc promérui glóriam, quam ipsa póstmodum auxit. Ecce, ait, ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

R. O María, stella maris, pietáte singularis, * Pietátis óculo, allelúja. **V.** Nos dignéris intuéri; ne cunctéris miseréri naufragánti sæculo. Pietátis.

Lectio v

O beáta María, quis tibi digne váleat jura gratiárum ac laudum præcónia repéndere, quæ singulari tuo assénsu mundo succurrísti pérdito? Quas tibi laudes fragilitas humáni generis persólvat, quæ solo tuo commércio recuperándi áditum invénit? Accipe itaque quascúmque exíles, quascúmque méritis tuis ímpares gratiárum actiões: et, cum suscepéris vota, culpas nostras orándo excúsa. Admítte nostras preces intra sacrárium exauditiónis, et repórta nobis antidotum reconciliatiónis.

R. Virgo, virga salutáris, singularis portus maris, * Porta vitæ, prævia, allelúja. **V.** Nos immérsos in profúndo duc in portum, et a mundo tua mundet grátia. Porta.

Sit per te excusábile, quod per te ingérimus; fiat impetrábile, quod fida mente póscimus. Accipe quod offerimus, redóna quod rogámus, excúsa quod timémus, quia tu es spes única peccatórum. Per te sperámus véniam delictórum, et in te, beatíssima, nostrórum est exspectátio præmiórum. Sancta María, succúrre miseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: sentiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam sollemnitátem.

R. Tolle malum, tende velum, tu, Patróna, duc phaselum * Ad cæli palátia, allelúja. **V.** Tu sis nobis mediátrix, dux et cymbæ gubernátrix maris per naufragia. **Ad.** Glória Patri. **Ad.**

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 2, 1-11

In illo témpore: Núptiæ factæ sunt in Cana Galiléæ, et erat Mater Jesu ibi. Vocátus est autem et Jesus, et discípuli ejus ad núptias. Et réliqua.

Homilia sancti Bernardi
AbbatisSermo 1, De miraculo facto in
nuptiis, sub init.**D**eficiente vino, dixit
Mater Jesu ad eum:
Vinum non habent.

Compassa est enim eorum
verecundia, sicut miseri-
cors, sicut benignissima.
Quid de fonte pietatis pro-
cederet, nisi pietas? Quid,
inquam, mirum, si pietatem
exhibent viscera pietatis?
Nonne, qui pomum in manu
sua tenuerit dimidia die,
reliqua diei parte pomi ser-
vabit odorem? Quantum
igitur viscera illa virtus pie-
tatis affecit, in quibus no-
vem mensibus requievit?
Nam et ante mentem re-
plevit quam ventrem; et,
cum processit ex utero, ab
animo non recessit. Durior
fortasse et austerior videri
posset responsio Domini;
sed noverat ille, cui loque-
retur; et, quis loqueretur,
illa non ignorabat. Deni-
que ut scias, quomodo res-
ponsum ipsum acciperit
aut quantum de Filii be-
nignitate presumpserit, ait
ministris: Quaecumque pre-
ceperit vobis, servate et
facite.

R. Salvatoris Mater pia,
mundi hujus spes, Maria,
* Ave, plena gratia, alle-

luja. **V.** Porta caeli, tem-
plum Dei, maris portus, ad
quem rei currunt cum fi-
ducia. **Ave.**

Lectio viii

Sermo 2, De spiritualibus nup-
tiis, in medio

Quoties mihi necesse est,
fratres, post lacrimosas
querimonias vestras ex-
orare Matrem misericor-
diae, ut suggerat suo be-
nignissimo Filio, quoniam
vinum non habeatis? Et
ipsa, dico vobis, carissimi,
si pie a nobis pulsata fue-
rit, non deerit necessitati
nostrae; quoniam miseri-
cors est et Mater miseri-
cordiae. Nam, si compassa
est verecundiae illorum, a
quibus fuerat invitata, mul-
to magis compatietur no-
bis, si pie fuerit invocata.
Placent enim illi nuptiae
nostrae, et pertinent ad eam
multo amplius illis; nimis-
rum de cujus utero, tam-
quam e thalamo suo, cae-
lestis Sponsus processit.
Sed quem non moveat,
quod in nuptiis illis respon-
dit Dominus benignissimae
ac sanctissimae Matri suae,
dicens: Quid mihi et tibi
est, mulier? Quid tibi et
illi est, Domine? Nonne,
quod filio et matri?

R. Intendentes tuae laudi,
nos attende, nos exaudi, *

Nos a morte libera, alle-
luja. **V.** Quae post Chris-
tum prima sedes, inter
Christi coheredes Christo
nos adnumera. **Nos.** Glo-
ria Patri. **Nos.**

Lectio ix

Quid ad illam pertineas,
quaeris, cum tu sis be-
nedictus fructus ventris im-
maculati? Nonne ipsa est,
quae, salvo pudore, conce-
pit et sine corruptione te
peperit? Nonne ipsa est,
in cujus utero novem men-
sibus moratus es, cujus
virginis uberibus lactatus
es, cum qua, jam duode-
cim annorum factus, de
Jerusalem descendisti, et
eras subditus illi? Nunc
ergo, Domine, quid molés-
tus es illi, dicens: Quid mihi
et tibi? Multum per om-
nem modum. Sed mani-
feste jam video, quod, non
velut indignans aut con-
fundere volens Virginis Ma-
tris teneram verecundiam,
dixeris: Quid mihi et tibi?
cum, venientibus ad te jux-
ta Matris praecipuum mi-
nistris, nihil cunctatus, fa-
cias, quod illa suggessit.
Ut quid ergo, fratres, ut
quid sic respondebat prius?
Utique propter nos, ut con-
versos ad Dominum jam
non sollicitet carnalium cu-
ra parentum, et necessitu-

dines illae non impediunt
exercitium spirituale.
Te Deum laudamus.

Die 11 Maji

S. Godehardi
Episcopi et Confessoris

(d. a. ex 4 hujus)

Semiduplex (m. t. v.)

Ant. Sacerdos et Ponti-
fex, et virtutum opifex,
pastor bone in populo, ora
pro nobis Dominum, alle-
luja.

V. Amavit eum Dominus,
et ornavit eum, alleluja.
R. Stulam gloriae induit
eum, alleluja.

Oratio

Exaudi, quaesumus, Domi-
ne, preces nostras, quas
in beati Godehardi Confes-
soris tui atque Pontificis
sollemnitate deferimus: et
qui tibi digne meruit famu-
lari, ejus intercedentibus
meritis ab omnibus nos ab-
solve peccatis. Per Domi-
num nostrum.

In II Nocturno

Lectio iv

Draclara indole puer
Godehardus in Ba-
varia, juxta monas-
terium Althaense, parenti-
bus christianis natus, in
idem monasterium littera-
rum disciplinis erudiendus
traditur. Ubi in sacris stu-

diis simul et pietate tantos progressus fecit, talisque se exhibuit, ut non modo sacris ordinibus initiari, sed etiam in ejusdem monasterii pastorem et abbatem communi fratrum consensu eligi meruerit. Sic vero monasterio in sanctitate et justitia Deo serviens praefuit, ut et exactissimam religiose vivendi normam in se exprimeret, et vigiliarum, orationum, jejuniorum frequentia et assiduitate, magnaque vitae austeritate cunctis admirando exemplo esset.

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei, alleluja. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocet ei. **Manus.**

Lectio v

Hac vitae ratione ac monastica disciplina reformandae studio, non tantum suum monasterium, sed etiam Heresfeldense, Degerense et Cremense, quorum cura ei incumberebat, ad sancti instituti perfectam observationem revocavit. Sanctitatis igitur ejus fama longe lateque diffusa, Godehardus a sancto Henrico imperatore ad regimen Hildesheimensis ecclesiae

vocatur. At ille diu multumque renitens, tandem manifestae divinae vocationi obsequens, ejusdem ecclesiae episcopus constituitur. Quanta tum ejus sanctitas enituerit, mira opera, quae Deus per eum edere dignatus est, satis declarant.

R. Posui adiutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei, alleluja. **V.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

Lectio vi

Exacto vitae curriculo, in vigilia Ascensionis Domini, quam vitae suae terminum fore praedixerat, sacro oleo prius unctus, media nocte, cum a fratribus in matutinis laudibus versus cantici Zachariae caneretur: Illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, vir sanctus, in extremo jam mortis agone desudans sublatis aegre oculis subjunxit: Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis, clero vero Gloria Patri et Antiphonam: Ascendo ad Patrem meum, concinente, felicissima anima ad caelos migravit. Sepultus in aede primaria Hildesheimensi multis ibidem claret miraculis.

Die 16 Maji

S. Joannis Nepomuceni Martyris

Duplex majus

In I Vesperis

Ant. 1 Interrogabat eum rex multis sermonibus: at ipse nihil illi respondebat, alleluja.

Psalmi de Dominica, sed loco ultimi Psalmus 116 Laudate Dominum, omnes gentes.

2 Rex dixit: Ne abscondas a me verbum, quod te interrogo. Dixi: Secretum meum mihi, secretum meum mihi, alleluja.

3 Affirmabat rex se divitem et beatum facturum. Non obedio praeccepto regis, sed praeccepto legis, quae data est nobis, alleluja.

4 Tunc rex, accensus ira, in hunc super omnes crudelius deseviit, alleluja.

5 Beatus qui lingua sua non est lapsus, et qui non servivit indignis se, alleluja.

Capit. Eccli. 21, 28-29

Labia imprudentium stulta narrabunt, verba autem prudentium statim ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus replata est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum, alleluja. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad caelestia regna. **Ipse. Gloria Patri. Ipse.**

In III Nocturno Homilia in Evangelium Vigilate, de Communi Conf. Pont. 2 loco.

Fer. II Rogation. et in Vigil. Ascens. IX Lectio de Homilia Feria et fit ejus Com. ad Laudes.

Vesperae a Capitulo de sequenti (Ss. Nereo, Achilleo et Domitilla Virg. ac Pancratio Martyribus semiduplex), Com. praeced.:

Ant. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriae induit eum, et ad portas paradisi coronavit eum, alleluja.

V. Justum deduxit Dominus per vias rectas, alleluja. **R.** Et ostendit illi regnum Dei, alleluja.

Oratio

Exaudi, quaesumus, Domine, preces nostras, quas in beati Godehardi Confessoris tui atque Pontificis sollemnitate deferimus: et qui tibi digne meruit famulari, ejus intercedentibus meritis ab omnibus nos absolvet peccatis. Per Dominum nostrum.

Hymnus

Invictus heros Núminis,
Mergendus unda flúminis,
Stat fortis in siléntio,
Dum fit sigilli méntio.

Hinc rex minátur fúnera,
Hinc tortor infert vúlnera,
Manus ligántur fúnibus,
Artur cremántur ígnibus.

Sed hæc Joánnes déspicit,
Nec regis iram réspicit,
Secréta non vult pándere,
Horret sigillum frángere.

Stat mutus agnus ínno-
cens,

Nil de tegédis próferens:
Stat; dumque rex nil élicit,
E ponte justum déjicit.

Præceps ab alto stérnitur,
Undis profúndis mérgitur:
Mersum sed applaudénti-
bus

Undæ salútant ígnibus.

Stellæ natant in flúmine,
Illi paréntant lúmíne,
Docétque cæli cláritas
Quæ sit Joánnis cáritas.

Da, sempitérna Trínitas,
Ut in bono sit firmitas:
Aut lacrimárum flúmina
Mergant cadéntum crímina.

Amen.

V. Sacraméntum regis
abscóndere bonum est, alle-
lúja. **R.** Opera autem Dei
reveláre honoríficum, alle-
lúja.

Ad Magnif. Ant. Dedit mi-
hi * Dóminus linguam mer-
cédem meam: et in ipsa
laudábo eum, allelúja.

Oratio

Deus, qui ob invictum
beáti Joánnis sacramen-
tále siléntium nova Ecclé-
siam tuam martyrii coróna
decorásti: da nobis ejus in-
tercessióne et exémplo, lin-
guam caute custodíre; ac
omnia pótius mala, quam
ánimæ detriméntum, in hoc
sæculo toleráre. Per Dó-
minum nostrum.

Et fit Commemoratio præce-
dentis (S. Joannis Baptistæ de
la Salle Conf., duplex):

Ant. Hic vir despiciens
mundum et terréna, triúm-
phans, divítias cælo cón-
dit ore, manu, allelúja.

V. Justum dedúxit Dómi-
nus per vias rectas, alle-
lúja. **R.** Et osténdit illi reg-
num Dei, allelúja.

Oratio

Deus, qui ad christiánam
páuperum eruditiónem,
et ad juvéntam in via veri-
tátis firmándam, sanctum
Joánnem Baptistam Confes-
sórem excitásti, et novam
per eum in Ecclésia famili-
am collegisti: concéde pro-
pítius; ut ejus intercessióne
et exémplo, stúdio glóriæ
tuæ in animárum salúte fer-
véntes, ejus in cælis corónæ
partícipes fieri valeámus.

Deinde Commemoratio S. Ubal-
di Ep. et Conf. (semiduplex):

Ant. Sacerdos et Pónti-
fex, et virtútum ópifex, pas-

tor bone in pópulo, ora
pro nobis Dóminum, alle-
lúja.

V. Amávit eum Dóminus,
et ornávit eum, allelúja.
R. Stolum glóriæ induit
eum, allelúja.

Oratio

Auxílium tuum nobis, Dó-
mine, quæsumus, placá-
tus impénde: et, interces-
sioe beáti Ubáldi Confes-
sóris tui atque Pontíficis,
contra omnes diáboli ne-
quítias dexteram super nos
tuæ propitiatiónis exténde.
Per Dóminum.

Completorium de Feria.

Ad Matutinum

Invit. Exsúltent in Dómi-
no Sancti, * Allelúja.

Ps. 94 Veníte, exsulté-
mus.

Hymnus

In profúnda noctis umbra
Et gravi calígine
Lustrat ædem flamma mun-
da,

Sic jubénte Númine.

Nocte náscitur Joánnes,
Astra cælo dévolant:
Nocte mérgitur Joánnes,
Astra funus ápparant.

Hinc cor ejus igne flagrans
Fortis urit cáritas:
Hinc ab ejus ore manans
Mira prodit suávitás.

Nunc amóre cor bonórum
Ad salútem pértrahit:

Nunc timóre cor malórum
A gehénna rétrahit.

Páuperes solátur ære,
Derelictis súbvenit:
Non sinit justos jacére:
Damna famæ præpedit.

Per Joánnis sanctitátem,
O beáta Trínitas,
Méntibus da puritátem,
Corde regnet cáritas.

Amen.

In I Nocturno

Ant. Erit lumen Israel in
igne; et Sanctus ejus in
flamma, allelúja.

Psalmi trium Nocturnorum de
Communi unius Martyris.

V. Sacraméntum regis
abscóndere bonum est, alle-
lúja. **R.** Opera autem Dei
reveláre honoríficum, alle-
lúja.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 21, 26-31

Stultus a fenestra re-
spíciet in domum:
vir autem eruditus
foris stabit. Stultítia hómi-
nis auscultáre per óstium:
et prudens gravábitur con-
tumélia. Lábía imprudén-
tium stulta narrábunt: ver-
ba autem prudéntium sta-
téra ponderabúntur. In ore
fatuórum cor illórum: et in
corde sapiéntium os illó-
rum. Dum maledícit ímpius
diábolum, maledícit ipse
ánimam suam. Susúrro co-

inquinábit ánimam suam, et in ómnibus odiétur: et qui cum eo mánsert, odiósus erit: táctus et sensátus honorábitur.

R. Metuébat rex Joán-nem, * Sciens eum virum justum et sanctum, allelúja.

V. Et custodiébat eum, et audíto eo multa faciébat, et libénter eum audiébat. Sciens.

Lectio ii Cap. 28, 21-25

Flagélli plaga livórem fácit: plaga autem linguæ comminuet ossa. Multi cecidérunt in ore gládii, sed non sic quasi qui interiérunt per linguam suam. Beátus qui tectus est a lingua nequam, qui in iracúndiam illíus non transívit, et qui non attráxit jugum illíus, et in vínculis ejus non est ligátus: jugum enim illíus, jugum férreum est: et vínculum illíus, vínculum áereum est. Mors illíus, mors nequíssima: et útilis pótius inférnus quam illa.

R. Lex veritátis fuit in ore ejus, et iníquitas non est invénta in lábiis ejus: in pace et in æquitáte ambulávit mecum: * Et multos avértit ab iniquitate, allelúja. **V.** Lábia enim sacerdotís custódiént sciéntiam, et legem requírent ex ore ejus. **Et.**

Lectio iii Cap. 28, 26-30

Perseverántia illíus non permanébit, sed obtinébit vias injustórum: et in flamma sua non combúret justos. Qui relínquunt Deum, íncident in illam, et exardébit in illis, et non exstinguétur, et immittétur in illos quasi leo, et quasi pardus lædet illos. Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire, et ori tuo fácito óstia, et seras. Aurum tuum et argéntum tuum confla, et verbis tuis fácito statéram, et frenos ori tuo rectos: et atténde ne forte labáris in lingua, et cadas in conspéctu inimicórum insidiántium tibi, et sit casus tuus insanábilis in mortem.

R. Sepívi aures meas spinis, * Et ori meo feci óstia et seras, allelúja. **V.** Beátus qui lingua sua non est lapsus, et qui non servívit indignis se. **Et.** Glória Patri. **Et.**

In II Nocturno

Ant. Non quæsívit a Dómino ducátum, neque a rege cáthedram honóris, allelúja.

V. Pone, Dómine, custódiam ori meo, allelúja. **R.** Et óstium circumstántiæ lábiis meis, allelúja.

Lectio iv



Joánes Nepomúci Bohémiae óppido, unde Nepomuceni cognómen duxit, a paréntibus ætáte provéctis, non sine futúrae sanctitátis præ-ságio, flammis supra nascéntis domum mirabíliter collucéntibus, ortus est. Cum infans in gravem morbum incidísset, beátæ Virgínis ope, cui natum paréntes referébant accéptum, e vitæ periculo evásit incólumis. Egrégia índole, piáque institutióne cælestibus índiciis obsequénte, inter sanctas religiosásque exercitatiónes puerítiam egit; nam ecclésiám frequénter adíre, ac sacerdotibus ad aras operántibus ministráre in delíciis habébat. Zatécii politióribus líteris ad humanitátem informátus, Pragæ vero gravióribus disciplínis excúltus, philosophiæ, theológiæ sacrorúmque cánonum magistérium et láuream eméruit. Sacerdotio initiátus, atque a sciéntia Sanctórum ad lucra animárum rite comparátus, ministério verbi Dei se pénitus addíxit. Cum ígitur in vítiis extirpándis, et revocándis in viam salutis errántibus, eloquéntia et pietáte úberes

éderet fructus, inter canónicos metropolitánæ ecclésiæ Pragénsis cooptátus, mox sibi demandátam Evangélii coram rege Wencesláo quarto prædicándi provinciám suscepit, eo succéssu, ut Joánes suásu multa rex fáceret, magnóque in honóre ejus virtútes habéret. Conspícuas tamen, quas ille obtulit dignitates, Dei servus, ne a divíni verbi præcónio avocarétur, constantíssime recusávit.

R. Instans oratióni et ministério verbi, hortabátur omnes in propósito cordis permanére in Dómino: * Quia erat vir bonus, et plenus Spiritu Sancto, allelúja. **V.** Et apponebátur multa turba Dómino. **Quia.**

Lectio v

Régiis illum eleemósynis præfécum, Joánnæ regína ex sereníssima ducáli domo Bavárica oriúnda consciéntiæ sibi moderatórem ascívit. Cum autem Wencesláus ab officio institutóque decessísset, atque in vítia præceps abriperétur, piæ autem cónjugis obtestatiónes et mónita graváte ferret, conténdere ausus est, ut in sacramentáli júdicio sacerdoti crédita re-

gínæ arcána sibi a Joáinne panderéntur. At Dei miníster blandítiis primum, tormentís deínde et cárceris squalóre tentátus, nefáriæ regís cupidítati fórtiter óbstítit. Furéntem tamen Wencesláii ánimu cum ab exsecrándo propósite nec húmana nec divína jura deterrérent, suprému agónem, quem instáre sibi athléta Christi nóverat, pópulo in contióne de impendéntibus étiam regní calamítatibus admónito, non obscére prænuntiávit. Mox Bolesláviám proféctus, ad beátæ Vírginis imáginem antiquo cultu célebrem, cæléste præsidium ad certándum bonu certámen effúsis precibus implorávit. Inde vespere reverténtem in pervigilio Domínicæ Ascensiónis rex e fenéstria conspicátus arcéssit: cumque vehementius urgéret, et próximam in aquis, si obluctári pérgeret, submersiónem intentáret, Joáannes invicta constántia terróres mínasque refutávit. Itaque regís império in Moldáviam flumen Pragam intérfuens noctu dejéctus, illústrem martýrii corónam est consecútus.

R. Dispérsit, dedit pauperibus: * Justítia ejus manet in sáeculu sáeculi, alle-

lúja. **V.** Beátus, qui intélegit super egénu et páuperem. Justítia.

Lectio vi

Sacrilegum fácinus clam patrátum, et Mártýris glóriam insígne prodígium divínitus patefécit. Ubi enim exánime corpus secúndo flúmine vehi cœpit, ardéntes faces aquis supernatántes et discurrentes apparuerunt. Quam ob rem ex aréna postridie mane corpus elátum, canónici deínde, regís iram nihil tíméntes, in metropolitánam ecclésiám sollémni pompa intulerunt, et sepultúræ mandarunt. Cum autem in dies invícti sacerdotís memória miráculis, et máxima fídelium, eórum præcipue qui fama periclitántur, veneratióné crésceret, post annos demum ámplius trecéntos, in jurídica recognitióné corpóris, quod sub humo tándiu jacúerat, lingua ejus incorrupta et vívida repérta est: quæ sexto post anno judícibus a Sede apostólicá delegátis exhibíta, novo prodígio repénite intúmuit, et subobscúrum rubórem in purpúreum commutávit. His itaque aliisque signis rite probátis, Benedictus décimus tértius Póntifex Máximus die décima nona mensis Mártii, anno salutis

millésimo septingentésimo vigésimo nono, primum hunc sacramentális sigílli asertórem, arcáni fidem sanguine obsignántem, sanctorum Mártýrum catálogo adscrípsit.

R. Ego scio, quóniam intrábunt post discessiónem meam lupi rapáces in vos, non parcéntes gregi: * Propter quod vigiláte, allelúja. **V.** Et ex vobis ipsis exsúrgent viri loquéntes perversa, ut abducant discípulos post se. Propter. Glória Patri. Propter.

In III Nocturno

Ant. Igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas, allelúja.

V. Dixi: Custódiam vias meas, allelúja. **R.** Ut non delínquam in lingua mea, allelúja.

Lectio sancti Evangéllii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 11, 2-10

In illo témpore: Cum audísset Joáannes in vínculis ópera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui ventúrus es, an álium exspectámu? Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

In Evang. Homília 6

Dimíssis Joánnis discipulis, quid de eódem Joáinne turbis

dicat audiámu. Quid existís in desértum vidére? arúndinem vento agitátam? Quod vidélicet non asseréndu, sed negándu intulit. Arúndinem quippe mox ut aura contígerit, in partem álteram inflectit. Et quid per arúndinem nisi carnális ánimus designátur? Qui mox ut favóre vel detractióné tángitur, statim in partem quámlibet inclinátur. Si enim ab húmano ore aura favóris fláverit, hilaréscit et extóllitur: sed si inde ventus detractiónis erúperit, unde aura laudis veniébat, mox hunc quasi in partem álteram ad vim furóris inclinát.

R. Cum corripéretur ab illo de ómnibus malis quæ fecit rex, adjécit et hoc: * Et inclúsit Joánnem in cárcere, allelúja. **V.** Labóro usque ad víncula, quasi male óperans: sed verbum Dei non est alligátum. Et.

Lectio viii

Sed arúndo agitáta vento Joáannes non erat: quia hunc nec blandu grátia, nec cujúslibet detractiónis ira ásperu faciébat: nec próspéra hunc erígere, nec advérta nóverant inclináre. Arúndo ergo vento agitáta non erat, quam ab status sui rectitúdine nulla rerum

varietas inflectébat. Discámus ergo, fratres caríssimi, arúndinem vento agitatam non esse: solidémus ánimum inter auras linguárum pósito: stet inflexibilis status mentis. Nulla nos detráctio ad iram próvocet, atque ad remissionem inútilis grátiae nullus favor inclínet. Non nos próspere élevant, non advérsa pertúrbent: ut qui in soliditáte fidei figimur, nequáquam rerum transeúntium mobilitáte moveámur.

R. Réddidit Deus justo mercédem labórum suórum, et dedúxit illum in via mirábili: * Et fuit illi in velaménto diéi, et in luce stellárum per noctem, allelúja. **V.** Transvéxit illum per aquam nímiám; inimícos autem illíus demérsit. **Et. Glória Patri. Et.**

Fer. II Rogation. et in Vigilia Ascens. IX Lect. de Hom. Feriæ et fit ejus Com. ad Laudes; alias

Pro S. Ubaldo:

Lectio ix

Ubáldus, Eugúbii in Umbria nóbili génere natus, a primis annis pietáte et lítteris egrégie est institútus, jamque aduléscens, ut uxórem dúceret, sæpe tentátus, numquam tamen a propósito servándæ virginitátis recéssit. Sacérdos efféctus, patrimónium su-

um paupéribus et ecclésiis distríbuit. Canonicórum regulárium órdis sancti Augustíni institútum suscipiens, illud in pátriam tráns tulit. Ab Honório secúndo Summo Pontífice ecclésiæ Eugubínæ invítus præfici tur, et episcopális consecratiónis múnere decorá tur. Factus forma gregis ex ánimo, de consuéta vivéndi ratióne nihil ádmó dum immutávit, et in omni virtú tum génere enítuit. Diútius infirmitátibus afflíctus, Deo indesiné ter grátias agébat. Cum multis annis ecclésiám sibi comíssam summa cum laude gubernásset, sanctis opéribus et miraculis clarus, quiévit in pace. **Te Deum.**

Ad Laudes

Ant. 1 Interrogábat eum * rex multis sermónibus: at ipse nihil illi respondébat, allelúja.

Psalmi de Dominica 1 loco.

2 Rex dixit: * Ne abscondas a me verbum, quod te interrogo. Dixi: Secrétum meum mihi, secrétum meum mihi, allelúja.

3 Affirmábat rex * se divitem et beátum factúrum. Non obcédio præcépto regis, sed præcépto legis, quæ data est nobis, allelúja.

4 Tunc rex, accénsus ira, * in hunc super omnes crudélius deséviit, allelúja.

5 Beátus * qui lingua sua non est lapsus, et qui non servívit indignis se, allelúja.

Capit. Eccli. 21, 28-29

Lábia imprudentium stulta narrábunt, verba autem prudentium statéra ponderábuntur. In ore fatuórum cor illórum, et in corde sapiéntium os illórum.

Hymnus

Vix in sepúlcro cónditur,
Signis Joánes próditur,
Per crátium repágula
Intérmicant miracula.

Hic ejus hostes illico
Pudóre mæsti público,
Ultríce dextra Núminis,
Pœnas repéndunt criminis.

Hic damna rerum fléntibus
Famæve conqueréntibus,
Abdúcta res revértitur,
Abláta fama rédditur.

Hic corpus ægritú dines,
Tempus vicissitú dines,
Periculum securitas,
Mortem fugit mortá litas.

Hic viva lingua Mártyris,
Sed muta voce sá nguinis
Clamans, ut Abel, improbat,

Regique crimen éxprobrat.

Uníus, o, da, Trínitas,
Triúmque simplex Unitas,
Ut, qui Joánni súpplicant,
Id ímpetrent, quod flágitant. **Amen.**

V. Pósui ori meo custó diam, allelúja. **R.** Cum consisteret peccátor advérsus me, allelúja.

Ad Bened. Ant. Quicúmque * glori ficá verit me, glori ficá bo eum: qui autem contémnunt me, erunt ignó biles, allelúja.

Oratio

Deus, qui ob invíctum beáti Joánnis sacramen tale siléntium nova Ecclé siam tuam martyrii coróna decorásti: da nobis ejus intercessióne et exémplo, linguam caute custodire: ac ómnia pótius mala, quam ánimæ detriméntum, in hoc sáculo toleráre. Per Dó minum nostrum.

Et fit Commemoratio S. Ubaldi:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus, allelúja.

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. **R.** Et ósténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio

Auxílium tuum nobis, Dómine, quæsumus, placátus impénde: et, interces sióne beáti Ubal di Confes sóris tui atque Pontíficis, contra omnes diaboli nequítias dexteram super nos tuæ propitiatiónis exténde. Per Dóminum.

Ad Horas Antiphona et Psalmi de Feria; ad Primam Lectio brevis Aurum tuum, ut infra ad Nonam.

Ad Tertiam

Capit. Eccli. 21, 28-29

Lábia imprudentium stulta narrábunt, verba autem prudentium statéra ponderabúntur. In ore factórum cor illórum, et in cordesapiéntium os illórum.

R. br. Sacraméntum regis abscondere bonum est. * Allelúja, allelúja. **Sacraméntum.** **V.** Opera autem Dei reveláre honorificum. Allelúja, allelúja. **Glória Patri.** Sacraméntum.

V. Pone, Dómine, custódiám ori meo, allelúja. **R.** Et óstium circumstántiæ lábiis meis, allelúja.

Ad Sextam

Capit. Eccli. 28, 28

Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audíre et ori tuo fácito óstia et seras.

R. br. Pone, Dómine, custódiám ori meo, * Allelúja, allelúja. **Pone.** **V.** Et óstium circumstántiæ lábiis meis. Allelúja, allelúja. **Glória Patri.** **Pone.**

V. Dixi: Custódiám vias meas, allelúja. **R.** Ut non delínquam in lingua mea, allelúja.

Ad Nonam

Capit. Eccli. 28, 29-30

Aurum tuum et argéntum tuum confila et verbis tuis fácito statéram et frenos ori tuo rectos et atténde, ne forte labáris in lingua.

R. br. Dixi: Custódiám vias meas, * Allelúja, allelúja. **Dixi.** **V.** Ut non delínquam in lingua mea. Allelúja, allelúja. **Glória Patri.** **Dixi.**

V. Pósuí ori meo custódiám, allelúja. **R.** Cum consisteret peccátor advérsus me, allelúja.

In II Vesperis

Antiphonæ et Capitulum de Laudibus 34*, Psalmi de Dominica, sed loco ultimi Ps. 115 Crédidi.

Hymnus

Jam faces lictor ferat, et minántem,

Jam ferox ensem, rabidúm-que tortis

Vínculis ferrum, sacra ni sacérdos

Abdita pandat.

Séntiet vires, animæque magnæ

Pródigum pectus: violéntus ira

Non quatit recti sólida tenácem

Mente satélles.

En ruit præceps tumulátus unda

Martyr, et fluctu plácido siléntem

Náufragus linguam meliór-
ris ævi

Servat in usum.

At superjéctæ fácoli na-
tántes

Amne discúrrunt, rutilánt-
que circa

Mártyrem flammæ: bene-
gesta plaudens

Ornat Olýmpus.

Ornat et linguam, rósei
instar ignis,

Vívidam servans, et adhuc
rubéntem,

Indicat, quænam fúerit ta-
céntis

Grátia linguæ.

Sit decus Patri, genitæ-
que Proli,

Spirítum laudent, ab utró-
que puris

Qui calet flammis, sine fine
psallens

Orbis utérque. **Amen.**

V. Pósuí ori meo custódi-
ám, allelúja. **R.** Cum con-
sisteret peccátor advérsus

me, allelúja.

Ad Magnif. Ant. In conspéctu poténtium * admirábilis ero, et fácies princípum mirabúntur me: tacéntem me sustinébunt, et loquéntem me respicient, allelúja.

Et fit Commemoratio sequentis (S. Paschalis Baylon Conf. duplex):

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit do-

mum suam supra petram, allelúja.

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja.

R. Stolam glóriæ induit eum, allelúja.

Oratio

Deus, qui beátum Paschálem Confessórem tuum mirífica erga Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria dilectióne decorásti: concéde propítius; ut, quam ille ex hoc divíno convívio spíritus percépit pinguédinem, eándem et nos percípere mereámur.

Deinde Com. S. Ubaldi:

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja.

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. **R.** Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio Auxílium tuum nobis, ut supra 35*.

Completorium de Feria.

Die 5 Junii

S. Bonifatii

Episcopi et Martyris, Fundatoris Diocesis

Duplex II classis

Ut in Breviario eadem die. Atamen in I Nocturno Lectiones A Miléto, de Comuni unius Martyris 1 loco, et in II Vesp. Commemoratio sequentis.

Die 16 Junii
S. Bennonis

Episcopi et Confessoris

Duplex majus, sed ad modum
Simplificis recolendum

In I Vesperis

Ant. Sacérdos et Póntifex,
et virtútum ópifex, pastor
bone in pópulo, ora pro
nobis Dóminum, allelúja.

V. Amávit eum Dóminus,
et ornávit eum, allelúja.

R. Stolum glóriæ índuit
eum, allelúja.

Oratio

Deus, qui nos beáti Ben-
nónis Pontíficis confes-
sióne gloriósa circúmdas et
prótegis: da nobis, et ejus
imitatióne proficere, et in-

tercessióne gaudére. Per
Dóminum nostrum.

Ad Laudes

Ant. Euge, serve bone et
fidélis, quia in pauca fuísti
fidélis, supra multa te con-
stituíam, dicit Dóminus, al-
lelúja.

V. Justum dedúxit Domi-
nus per vias rectas, alle-
lúja. **R.** Et osténdit illi reg-
num Dei, allelúja.

In II Vesperis

Ant. Amávit eum Dómi-
nus, et ornávit eum: sto-
lam glóriæ índuit eum, et
ad portas paradísi coroná-
vit eum, allelúja.

V. Justum dedúxit, ut su-
pra.

Index alphabeticus

	pag.
Bennonis Ep. et Conf. 16 Junii	38*
Bonifatii Ep. et Mart. 5 Junii	37*
Clementis Mariæ Hofbauer Conf. 15 Martii	2*
Cunegundis Imperatr., Virg. 3 Martii	1*
Godehardi Ep. et Conf. 11 Maji	25*
Joannis Nepomuceni Mart. 16 Maji	27*
Leonis IX Papæ et Conf. 19 Aprilis	8*
Mariæ B. Virg., Patronæ Bavariæ. Sabb. I Maji	13*
— Octavæ. Sabb. II Maji	22*
Petri Canisii Conf. et Eccl. Doct. 27 Aprilis	9*
Ruperti Ep. et Conf. 27 Martii	5*

Decretum S. Rituum Congregationis

Ratisbonen.

Præsens Kalendarium, juxta Rubricas et Decreta novissima redactum, Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino nostro Papa Pio Decimo tributarum, revisione rite peracta, recognovit ac probavit, illudque in universa Diœcesi Ratisbonensi adhiberi mandavit: servatis de cetero Rubricis et Decretis, præsertim quoad Festa Dedicationis et Titularis Ecclesiarum nec non Patronorum cujusque loci. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 9 Februarii 1914

(L. S.) ✠ Petrus La Fontaine Ep. Charystien., Secretarius
Philippus Can. di Fava Substitutus

Approbatio

Concordat cum originalibus juxta præfatum Decretum Sacræ Rituum Congregationis reformatis.

Ratisbonæ, die 8 Martii 1927

Dr. Scheglmann Vic Gen.

Die 21 Aprilis

S. CONRADI A PARZHAM CONFESSORIS

Duplex

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. (T. P. Allelúja.) **R.** Stolam glóriæ índuit eum. (T. P. Allelúja.)

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram. (T. P. Allelúja.)

Oratio

Deus, qui misericórdiæ tuæ jánuam fidélibus patére voluísti: te súpplices exorámus; ut, intercedénte beáto Conrado Confessore tuo, temporália subsidia nobis tribuas et æténa. Per Dóminum.

Et fít Commemoratio S. Anselmi Ep., Conf. et Doct.:

Ant. O Doctor óptime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beáte Anselme, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei. (T. P. Allelúja.)

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. (T. P. Allelúja.) **R.** Et ostén-

Pro diœc. Bavariz. P. Verna

dit illi regnum Dei. (T. P. Allelúja.)

Oratio

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Anselmum místrum tribuísti: præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum nostrum.

In I Nocturno, si dicendæ sint de Communi, Lectiones Beátus vir, de Communi Conf. non Pontificis 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

Conradus, in ruráli prædio ad oppidum Parzham in diœcesi Passaviénsi, piis honestisque paréntibus natus, inde a púero modéstia et solitúdinis amóre, quanta futúrus esset sanctitáte, præmonstrávit. Mirus jam tum in eo elucébat devotiõnis fervor, máxime cum in ecclesiá oráret; quàm longe sitam, neque itinere neque frígore detérritus,

frequentare solébat. Summo erga beatam Virginem amore inflammatus, quotidie ejus Rosarium assidue iterabat, diebusque festis persæpe ad remotiora ipsius Deiparæ sanctuaria pergébat: ex quibus pedestribus peregrinationibus, jugiter orando susceptis, domum remeabat sub vespere fere semper jejūnus. Integra juventute in agrorum cultura transacta, ut arctius Deo adhereret eique liberior famularetur, mundo valedicere statuit; quapropter peramplo patrimonio abdicato, annum agens primum supra trigésimum inter fratres laicos ordinis Minorum Capuccinorum adnumerari obtinuit.

R. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam, alleluja. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. **Et.**

Lectio v

Statim ab emissa professione, ad sanctæ Annæ conventum civitatis Vetteringæ missus fuit; locus autem celebris est et

frequentissimus inter cetera Germanicæ ditionis Mariana sanctuaria, adeo ut plura fidelium centena millia illuc singulis annis conveniant. Ob tantum ad eandem civitatem concursum, perdifficile in cenobio evadit janitoris officium; quod Conradus, cui hujusmodi munus statim ab ejus adventu fuerat demandatum, ad obitum usque retinuit, et tamquam exempli apostolatam explévit. Impiger in labore, parcus in loquendo, erga pauperes largus, in peregrinis excipiendis juvenis promptus, per annosquadraginta et amplius ostiarii onus æquanimitergessit, máximo incolarum et peregrinorum emolumento, in omnibus tum animæ tum corporis necessitatibus.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum, alleluja. **V.** Induit eum Dominus lorica fidei, et ornavit eum. **Et.**

Lectio vi

Virtutibus omnibus præclarus, silentium summo opere adamavit. Per diem

subseciva temporis momenta insumebat in quodam tuguriolo, januæ propinquo, e quo sanctissimam Eucharistiam invisere et adorare poterat; de nocte vero horas subripiebat somno, quas in fratrum conditorio vel in ecclesia orationi dabat. Etsi consenuisset, quieti nunquam se tradidit, sed in laboribus piisque exercitiis ad extremum usque perrexit. Revera quadam die cum pluribus peregrinantium turmis satisfacisset, agnovit corporis viribus prorsus destitui; ac triduo post, undécimo Kalendas Maji, obdormivit in Domino, anno millésimo octingentesimo nonagésimo quarto, ætatis suæ septuagésimo quinto. Hunc Dei famulum, heroicis virtutibus et miraculis clarum, Pius Papa undécimus anno millésimo nongentesimo trigésimo inter Beatos rettulit; novisque miraculis fulgentem, quadriennio post, idem Summus Pontifex Sanctorum fastis sollemniter adscripsit.

R. Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrederere in requiem meam:

* Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus, alleluja. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cælestia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam

Lectio vii Cap. 12, 35-40

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ

Homilia 13 in Evangelia

Sancti Evangelii, fratres carissimi, aperta vobis est lectio recitata. Sed, ne aliquibus ipsa ejus planities alta fortasse videatur, eam sub brevitate transcurremus, quatenus ejus expositio ita nescientibus fiat cognita, ut tamen scientibus non sit onerosa. Dominus dicit: Sint lumbi vestri præcincti. Lumbos enim præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Sed, quia minus est mala non agere, nisi etiam quisque studeat et bonis operibus insudare, protè-

nus ádditur: Et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Lucérnas quippe ardéntes in mánibus tenémus, cum per bona ópera próximis nostris lucis exémpla monstrámus. De quibus profécto opéribus Dóminus dicit: Lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédât pro peccátis ómnium populórum, allelúja. **V.** Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. **Ipse.**

Lectio viii

Duo autem sunt, quæ jubéntur: et lumbos restringere, et lucérnas tenére; ut et mundítia sit castitátis in córpore, et lumen veritátis in operatióne. Redemptóri étenim nostro unum sine áltero placére nequáquam potest; si, aut is qui bona agit, adhuc luxúriæ inquinaménta non déserit, aut is qui castitáte præéminet, necdum se per bona ópera exércet. Nec

castitas ergo magna est sine bono ópere, nec opus bonum est áliquod sine castitáte. Sed, et si utrúmque ágitur, restat, ut, quisquis ille est, spe ad supérnam pátriam tendat, et nequáquam se a vítiis pro mundi hujus honestáte contíneat.

R. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis, allelúja. **V.** Vigílate ergo, quia nescítis quahora Dóminus vester ventúrus sit. **Et. Glória Patri. Et.**

Pro S. Anselmo:

Lectio ix

Ansélmus, Augústæ Prætoríæ in fínibus Itáliæ, nobílibus et cathólicis paréntibus natus, adolescens, pátria et bonis ómnibus derelíctis, in monastério Beccénsi órdinis sancti Benedícti emíssa regulári professióne, in lítteris et virtútibus assequéndis mirum in modum profécit. Régibus, epíscopis veneratióni fuit, et sancto Gregório séptimo étiam accéptus, qui tunc, persecutióibus agitátus, lítteras amóris

plenas ad eum dedit, se et Ecclésiám ejus oratióibus comméndans. Defúnto Lanfráncio archiepíscopo Cantuariénsi, ejus olim præceptóre, ad ejúsdem ecclésiæ régimen vocátus, verbo et exémpló, scriptis et concíliis celebrátis, prístinam pietátem et ecclésiásticam disciplínam redúxit. Sed cum mox Willélmus rex vi et minis jura Ecclésiæ usurpáre tentásset, ipseque invícte restitísset, bonórum direptiónem et exsílíum passus, Romam ad Urbánum secúndum se cónsulit. A quo honorífice excéptus et summis láudibus ornátus, in Barénsi concílio Spíritum Sanctum étiam a Fílio procedéntem, contra Græcórurum errórem, innúmeris Scripturárum et sanctórum Patrum testimóniis propugnávit. Post mortem Willélmi, ab Henríco rege ejus fratre in Angliam revocátus, obdormívit in Dómino. **Te Deum.**

Ad Laudes

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **(T. P. Allelúja.) R.** Et osténdit illi regnum Dei. **(T. P. Allelúja.)**

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui. **(T. P. Allelúja.)**

Oratio

Deus, qui misericórdiæ tuæ jánuam fidélibus patére voluísti: te súpplices exorámus; ut, intercedénte beáto Conrado Confessóre tuo, temporália subsidia nobis tríbuas et æténa. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Anselmi:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus. **(T. P. Allelúja.)**

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **(T. P. Allelúja.) R.** Stulam glóriæ índuit eum. **(T. P. Allelúja.)**

Oratio

Deus, qui pópulo tuo æténae salútis beátum Ansélmum mínistrum tribuísti: præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum nostrum.

In II Vesperis

V. Justum deduxit Dominus per vias rectas. (T. P. Allelúja.) **R.** Et ostendit illi regnum Dei. (T. P. Allelúja.)

Ad Magnif. Ant. Hic vir despiciens mundum * et terréna, triumphans, divitias caelo condidit ore, manu. (T. P. Allelúja.)

Oratio

Deus, qui misericordiae tuae januam fidelibus patere voluisti: te supplices exoramus; ut, intercedente beato Conrado Confessore tuo, temporalia subsidia nobis tribuas et aeterna. Per Dominum.

Et fit Com. sequentis:

Ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Domine, et aeternitas temporum, allelúja.

V. Sancti et justí, in Domino gaudete, allelúja. **R.** Vos elégit Deus in hereditatem sibi, allelúja.

Oratio

Beaatorum Mátyrum pariterque Pontificum Soteris et Caji nos, quæsumus, Domine, festa tueantur: et eorum commendet oratio veneranda. (Per Dominum.)

Deinde Com. S. Anselmi:

Ant. O Doctor optime, Ecclesiae sanctae lumen, beate Anselme, divinae legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei. (T. P. Allelúja.)

V. Amavit eum Dominus, et ornavit eum. (T. P. Allelúja.) **R.** Stulam gloriæ induit eum. (T. P. Allelúja.)

Oratio

Deus, qui populo tuo aeternae salutis beatum Anselmum ministrum tribuisti: praesta, quæsumus; ut, quem Doctorem vitae habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in caelis. Per Dominum nostrum.

ELOGIUM IN MARTYROLOGIO ROMANO

Die 21 Aprilis

Vetættingæ, in Bavaria, sancti Conradi a Parzham, Confessoris, ex Ordine Minorum Capuccinorum, jugi oratione et caritate in proximum insignis; quem miraculis clarum Pius Papa undecimus Sanctorum numero adscripsit.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM

MONACEN. ET FRISINGEN.

Eamus ac Revmus D. Michael De Faulhaber Ordinarius Monacensis et Frisingensis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ XI ea qua par est reverentia exposuit Bavariam catholicam universam maximo cum gaudio accepisse grande beneficium ab eadem Sanctitate Vestra collatum Canonizationis Beati Conradi De Parzham Confessoris ex Bavaria oriundi. Cum vero omnes dioceses Bavariae tantum Sanctum honorare cupiant, Cardinalis Orator enixe Sanctitatem Vestram oravit ut eisdem dioccesibus Officium et Missam de Sancto Conrado De Parzham Confessore concedere dignetur, et quidem pro diocesi Passaviensi ubi idem Sanctus diem natalem sortitus est recolendi diem festum ejusdem (21 aprilis) sub ritu duplici majori, pro ceteris dioccesibus vero sub ritu duplici minori. Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, benigne in omnibus annuit pro gratia juxta preces. Servatis servandis: contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 14 Januarii 1935

C. Card. Laurenti S. R. C. Praefectus
A. Carinci S. R. C. Secr.